

nibus rebus a se pertinentibus, præter quod supra ante positum est a parte suum Monasterium, quod ipse Sigulfus Abba eidem Wido Episcopus, suosque successores, aut cui ipse Wido Episcopus dedit, aut ordinaverit, aut contra ipsam institutionem, aut ordinationem, quam prædictus Wido Episcopus fecerit, finem, & refutationem feci tam per se quoque exspodit, se suosque successores. Nominative de Ecclesia una cum hominibus rebus a se pertinentibus, qui juris est isto Episcopo, & esse videtur in loco, & fundo supra rio de Lusiniolo, foris prope civitatem Aquis, & est ædificato in honore sancta Dei Genitrix Virginis Mariæ, quæ dicitur de Monasterium; præter ante posuit ipse Sigulfus Abba in eodem fine, & refutatione Braidam una, quæ fuit deprecaria, quæ est justa Moneta; & similique silva una, quæ ipse Sigulfus Abba detinebat in Casaronia a parte suum Monasterium, & ibi locum, ubi ipse Dominus Wido Episcopus eandem investitura dedit eidem Sigulfus Abba exspodit se suosque successores ut si voluerit alio vero tempore prædictus Sigulfus Abba, aut suos successores, aut suum Monasterium inquietationem, aut molestacionem, aut subtercionem facere de ista Ecclesia, vel res, quod ei investivi sicut supra jam dictum est, aut si per placitum fatigare quæsierit, & taciti exinde homni tempore non permanferint, vel si apparuerit ullum datum, aut factum, vel collibet scriptum, quod ipse Wido Episcopus ex aliam parte fecisse, & claruerit . . . . . 30 promisi se suosque successores a parte jam dictum monasterium pœna argentum den. bonorum libras centum, & in eo tinore ut supra . . . . . hæcepit; ipse Dominus Episcopus Wido ab eodem Sigulfus Abba exinde Launehild crausnam una & pro honore Episcopo suo, nec eis liceat ullo tempore nolle quod voluit, sed quod ab eis semel factum, vel quod scriptum est inviolabiliter conservare promisi . . . . . stipulatione subnixa, unde duo breves uno tinore scripti sunt. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo quinquagesimo sexto, imperio vero Domni secundi Henrici decimo isto die Veneris indictione nona. ✠ Ego Wido Episcopus scripsi. Signum manibus Tedixius, & Willielmi, Hieronimi, seu Johannis homines legem viventes romana interfuere testes. Signum manibus Arnaldi, & Ingoni interfuere testes. Ego Michael Notarius, & Judex Sacri Palatii interfui, & in brevem scripsi.

*Fundatio monasterii S. Mariæ de Campis facta a B. Wido Episcopo Aquensi.*

23

M L V I I.

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Guido Dei omnipotentis largiente clementia Aquensis Episcopus quamvis indignus sanctorum Patrum vestigia subsequentes, & admonitionis divinæ memoriam assidue recolentes psalmographi dictum ad mentem reducimus non immemores: *mihî autem adhærere Deo bonum est*, rursusque reminiscentes Evangelici sermonis: *qui bona egerunt ibunt in vitam æternam*; statuimus aliquid in præsentiarum,

per quod probemus adhærere Deo, & ad vitam æternam festinare illo propitio, qui nostræ salutis cooperatores existit sollerti adminiculo. Sit ergo cognitum omnibus Ecclesiæ Dei fidelibus tam præsentibus, quam futuris, seu absentibus, interventu nostrorum fidelium Clericorum, atque Laicorum Nos ædificasse monasterium in suburbio nostræ civitatis Aquensis, in qua pontificali etsi immerito insula auctore Deo resideo Pastor & Rector, & hoc ipsum fecisse in honore S. Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, quam vere credimus posse impetrare nobis a suo Filio Domino nostro Jesu Christo veniam omnium delictorum. Perfecimus autem supra memoratum Cœnobium, quod per multa annorum curricula imperfectum fuit ad honorem omnipotentis Dei pro salute Regis nostri Henrici, & Domine nostræ Imperatricis Agnetis, nec non pro statu, & incolumitate totius Christianitatis. Enimvero pro animæ nostræ remedio & Patris nostri, ac Deo fidelissimæ matris, omniumque nostrorum successorum, ut petitionibus illi Deo servientium, salutem animæ, & corporis adipiscantur, & obtineant; si autem inceptum opus perficere nequeo, saltem cœpisse proficiat ex integro secundum illud B. Gregorii Papæ. Bonum ergo opus sit in voluntate, nam ex divino adjutorio erit in perfectione. Testor equidem summum Patris Filium Deum, ac Dominum non meis viribus, nec plurimo posse, me inchoasse Cœnobium construere, sed Deo inspirante, qui dixit: *sine me nihil potestis facere*, simulque propheta admonente: *nihil deest timentibus Deum*. Spero enim in Christo Deo, quia qui dedit nobis voluntatem incipiendi, dabit etiam effectum consummandi, & secundum locum augendo amplificabit in spiritalibus rebus, & terrenis Domino nostro Rege adjuvante, succurrente, & Episcopatum nostrum a devastationibus & prædonibus, & persecutoribus liberante: quod vero supra taxato Cœnobio de paupertate nostri Episcopii, atque aliqua portione paterni, nostrique prædii, leto animo largimur, volumus notum fieri cuncto sæculo, ac nostrorum præsentium cœtui, ac futurorum fidelium venerabilissimo. Damus igitur, atque concedimus de jure nostri Episcopatus præfato monasterio S. Mariæ de terra arabili jugias duodecim, & sextaria quindecim, de prato vero jugias tres, & sextaria tria, quæ continentur, & jacent, infra duos rivulos prope ipsum Monasterium, quorum unus vocatur Lusignolus, alter vero dicitur fossatum de Moliis, & quidquid deinceps Christo auxiliante ipsi monasterio adquisierimus, & ibi dederimus; de proprietate autem & jure, paterni, nostrique prædii concedentes tribuimus medietatem de una silva, quæ jacet ultra Burmiam, in loco, qui nuncupatur Pallareta, & mansum unum in Melagio, quod est laboratum per Martinum de Calegonia, & filium ejus; alium vero in Cartausio, quod est laboratum per Erinzum, & Petrum; in castro autem Falmenciano alium, quod est laboratum per Widonem: quartam etiam partem de uno sedimine cum area sua, quod fuit quondam Joannis, qui cognominabatur infantulus, nec non & quatuor sextarios de vinea in Fontanelle juris prædicti Joannis; unum quoque modium de vinea ultra